



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

21. Dies Augusti. Magna est miseria, superbus homo; sed major
misericordia, humilis Deus. S. August. de Catech. rudib. c.4.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

qui attentionem, modestiam, reverentiam, & intimum animi silentium imperet. Quod si libeat per immensa spatia, dum precaris, vagari; quid tam immensum, quam Dei immensitas? quoque curris illi occurris prompto tibi succurrere, si ad illum in necessitate recurris. Proderit, ut tempore orationis te contineas intra gyrum modestiae; nec divagabis, ante animum componete; ut sit sedatus, & dispone te, cogitando, quid agas; quod tendas, quid intendas cum quo agas, cui sis locuturus; & quid, & quomodo cum eo locuturus. Quapropter, cum oratio sit negotium omnium negotiorum negotiosissimum; quia est cum supra Majestate de negotiis summum momenti colloquium: quisque, prius quam illud agreditur, & locum oraturus ingreditur, imitetur D. Bernatdum, cuius hodie dies est solemnis, cui orato familiare erat dicere: Veniens ad Ecclesiam, pone manum super ostium, & dic: *Expectate hic cogitationes mala, intentiones, & affectus cordis, & appetitus carnis.* Tu autem, anima mea, intra in gaudium Domini tui, ut videoas voluptatem Domini, & visites templum ejus. Si hoc modo imiteris Bernardum, excipiet Deus tuam orationem, sicut si avolentem nardum. Itaque dum oras, totus attende illi, qui totus intendit tibi. Decet enim oraturum.

Numen ad immensum, totum convertere sensum.

21. DIES AUGUSTI.

Magna est miseria, superbus homo; sed major misericordia, humilis Deus. *S. August. de Catech. rudib. c. 4.*

UT oratio utilis sit oraturo, in duobus maximè retinendis e-laborandum est ei, Attentione, & Reverentia. Hi sunt duo anrei cardines orationis, geminæ claves Devotionis, duo ubera nascentis pietatis, utraque sibi vim, & robur conciliat. Reverentia gignit Attentionem: Attentionio auget Reverentiam, Hæc componit animum, & præsentem facit, & concursum inanum simulariorum coërcet, atque abigit, quæ à Divino colloquio mentem averterent. Denique Reverentia commendat orationem; & veluti gratiola quædam ornatrix illam venustat, quò decentius in conspectum magni Regis introëat: sine illa, est deformis, & ut putidula rejicitur. In primis, perspectâ propriâ miseriâ, omnino seponenda est omnis superbia; nec enim Deus in illum gratias erogat, qui sibi multum arrogat, ut est omnis arrogans. Fateor, major est humilis Dei misericordia, quam superbi hominis mileria: tamen non prius incipiet humilis Deus oraturo esse misericors, quam desierit homo supebiendo esse miser. Quomodo enim Deo superbus orans affistet, cùm Deus superbis resistat? Ut igitur liberetur omni miseriâ, liber ab omni superbia, ad Deum accedat, quantâ potest maximâ reverentia. Hæc, ut ales Jovis, solis amica, super erecta nubes, & tonitrua mundanae pompe, ad solium usque Triadis, ubi anima inexplicabilibus donis ornetur, viam pandit.

II. Reverentia monet non temerè eundum esse ad orationem, ad summi Numinis familiaritatem, ad Gratiae thronum, ad cœli Regem alloquendum; sed excitandam prius voluntatem ad præstabilissimum

656 *Christiani Militis* Augustus,
lissimum illud negotium quām sanctissimē obeun-
dum. Hæc clare denuntiat, orationem non esse rem
nihili, aut exigui momenti, aut de numero commu-
nium operum; ad quæ solemus consuetudine quā-
dam agendi, ac frequentia inconsultè, temerè, & sine
ulla præmeditatione accedere. Quippè, Deum no-
bis adeundum esse, deque illis rebus agendum, qui-
bus nullæ graviores putari debent. Oratio est mens
ad Deum legatio; sustines enim personam legati. Le-
gatus porrò, antequam Regem convenit; quid Regi
dicturus sit, accuratè secum discutit; verba singula
priùs in charta exarat, quām lingua pronuntiat;
dein quid Regi responsurus sit, solerter considerat.
Legatus olim quispiam Græcus, cùm sibi Persarum
Regem alloquendū videret; annum expectavit, ut
consideratè loqueretur. Cùm enim, in Magnatum
auribus, verba omnia examinentur ad trutinam me-
ritò & ipse sua singula verba, suis momentis trutina-
bat, ne possit, si quid minus cautè sibi elabi sineret,
insimulari vel audaciæ, vel temeritatis, vel impruden-
tiæ. Locuturus es, dum oras, non cùm uno è Ma-
gnatibus: sed cùm eo, qui Magnatum omniam
est Dominus: cuius magnitudinis non est fi-
nis.

III. Tu igitur, si non annum unum, ut ille Lega-
tus: saltem quartam horæ partem impende, ut quid
tu tantillus, Regi tanto sis dicturus: ipsa te Majestas
infinities reverenda faciat te reverentem, & atten-
tum: quæ non solum verba singula, sed singulas etiam
verborum syllabas: immo singulos in syllabis latitantes
affectus vocabit ad libellā. Movebit te ad reverentia,
ipsius Filii Dei Patrē orantis modestia, & reverentia;

qui

Augustus.

Tessera.

657

qui priusquam Patrem oraturus accederet, toto corpore pronus, (a) procidit in faciem suam super terram. Ecce hic omnipotens Dei filius, submississimâ reverentiâ inclinat Corpus, inflectit humeros, incurvat genua, & qui in principio (b) Creavit cælum & terram, procidit in faciem suam super terram. O superbe! qui erecto collo, elatis superciliis, pingui cervice, ventosissimo fastu, summis per terram plantis ambulas per vias Babylonicas: vide hîc Altitudinem depresso, Majestatem in solum prostratam: vide, ô fili terræ! filium Dei affixum terræ! vide, ô pulvis, & cinis! totum Dei pulvere involutum! ô prodigium! illic figit Deus suam faciem: ubi solent homines figere pedes. Audiant hîc illi, quibus oraturis, grave est flectere bina genua, loquentem Cæsarum Arelatensem: (c) Orat Misericordia, & non orat miseria: orat Charitas & non humiliatur iniquitas: prostratus in terra orat Medicus, & non inclinatur ægrotus: orat Innocentia, & non orat nequitia: orat, qui peccatum non fecit, & non orat multis peccatis obnoxius: orat Jûdex, & desiderat parcere, & non orat reus, ut indulgentiam mereatur accipere; orat Jûdicaturus, & orare dissimulat judicandus. An non hîc manifestâ est nostræ Tesserae veritas? Magna est miseria, superbushomo, &c. Nonne hîc verè humilis est Deus? qui jacet in terra supplicis ritu, tanquam omninim scelerum reus? Cave ergo à superbia, qui caves à miseria; quia

*Sit tibi gratia, si sapientia, formaque detur:
Sola superbia destruit omnia, si comitetur.*

Pars II.

Tt

22. DIES

(a) Matth. 26.39. (b) Gen. 1.1. (c) Hom. 29.